

1589 redigendi, munus injunxit. Qui cum iussa perfecisset, Cæsar is legatus conquestus, rem per arbitros definiri flagitabat. Interim pedites sexcenti cum sex tormentis, quos *falcones* vocant, a Carolo missi, quæ a nostris confecta fuerant, demoluntur. Ea re commoti Patres, Jacobum Malatestam præfetum cum peditibus ære publico merentibus ducentis, agrestiumque manu, celocibus quatuor, ac Decemvirum biremi adjunctis, ad Sontium proficisci, complanare excavatum alveum jubent. Id cum celerrime, nullo obsidente, Malatesta perfecisset, ab arbitris postea Patres non abhorruere; sed, ut plerumque fit, gravioribus curis minora hæc negotia intercepta sunt. In Cadubrii quoque finibus, cum finitimis Austriae variæ controversiæ obortæ: ad eas definiendas Paulus Paruta a Senatu missus; qui, cum Ferdinandi sequestribus reagitata & composita, intra paucos dies incolas ad pristinam quietem ac tranquillitatem reduxit. Hoc ipso anno ut publici carceres, in ima palatii parte constituti, ultra rivum ædificantur, in Decemvirum collegio latum; coemptisque privatorum aliquot ædibus, opus haud ignobili artificio cœptum, quo reorum custodiæ non modo consultum, sed interiore in parte, Sexvirum nocturnorum magistratui locus est attributus; curatores dati Marinus Grimanus, equestris ac procuratoriæ dignitatis, Daniel Priolus. Ad Bergomum insuper, civitatem Insubribus finitimam, severiori custodia tuendam animura Patres adjecere; recensque excitatae munitioni (*Capellam* vocant) præfectum dedere; primusque eo munere Augustinus Michaelius functus est.

M. D. LXXX.X.

1590 **I**Nsequentem annum Galliæ regni eventus, commissa prælia, Lutetiæ obsidio, Hispanorum ab Alexandro Farnesio in Galliæ viscera arma inventa, Italia fame pressa atque ab extorribus vexata, duorum Summorum Pontificum obitus memorandum fecere. Inter tot gravissimarum rerum casus anni initio ad hominum curiositatem alliciendam, risu digna res accidit, ex qua quam levi aura non vulgarium modo mentes, sed eorum, qui prudentiæ ac sapientiæ opinione excellunt,

*Paulus
Paruta ad
controver-
sias compo-
nendas in
Cadubriis
missus.*

*Augustinus
Michaelius
primus Ber-
gomii areis
præfetus.*